



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXXIX. [i.e. XXXIV.] De lege humanæ scripta & positiva
secundùm se. ad q. 95.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

ditioni subjecta sunt, inter quæ non est lex & potestas ipsius Christi Divini legislatoris. Quod additur de voto, & juramento, matrimonio rato, non est ad rem, quia hæc sunt juris Divini naturalis, de quo jam in Disputatione dictum, non esse formalem dispensationem sed tantum materiale, ex morali immutatione voluntatum, quæ Summo Pontif. tanquam supremo Pastori sunt subditæ.

Ad 2. optima est responsio August. à V. M. disp. 6. q. 2. Volaterranum, ex quo desumpta est illius dispensationis fabula, sic habere: *Nor-*

wegia Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum sine calice vino sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum accescat. Ubi non dicitur sine vino, sed sine calice; imò supponitur consecratio cum vino: ideoque exponi potest, concessam Norwegis facultatem in aliquo vase clauso vinum consecrandi, ne de facili congelari posset: nève vinum mediante congelatione à frigore acedinem patiatur. Quicquid sit, una hirundo non facit ver, & unius scriptoris autoritas tanti non est, ut ipsi omnium ferè Doctorem cæcus assurgat.

DISPUTATIO XXXIV.

DE

Lege humana positiva & scripta secundum se.

ad q. 95.

Cùm plurima sint in moribus humanis, quæ lex naturalis & Divina positiva indeterminata relinquit, humanæ communitati necesse fuit, ut per leges positivas ulteriorem morum disciplinam obtineret, quæ circa particulares actus dirigeretur, earumque metu malorum coerceretur audacia, & tuta esset inter improbos innocentia, ut inquit Isidorus relatus à S. D. q. 95. a. 1. Hanc legislativam potestatem hominibus à DEO datam frequenter contra Hæreticos restatur sacra Pagina Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Rom. 13. *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, &c.* Eandem à lege naturæ derivatam & dependentem agnoscit S. D. citat. a. 2. Cùm enim omnis lex humana debeat esse iusta & rationabilis, etiam debet esse conformis ad regulas rationis, quas inter eminet lex naturæ. Dividitur hæc potestas in Ecclesiasticam, & Civilem, seu politicam, juxta duplicem hominum communitatem: eùm enim sit duplex finis, in quem homines oportet dirigi: unus felicitatis temporalis, & naturalis; alter spiritualis, æternæ, & supernaturalis; ita duplex est hominum communitas, una politica & Civilis, altera Ecclesiastica; illam Civilibus, hanc Ecclesiasticis legibus oportet dirigi; nam *ubi non est gubernator, populus corrumpitur.* Prov. 11.

ARTICULUS I.

In quibus resideat potestas condendi leges?

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Dividitur lex in generalem & particularem. | 13. Similiter Concilium Oecumenicum. |
| 2. In præceptivam & pœnalem. | 14. Sed quid, Sede vacante, vel tempore schismatis? |
| 3. In favorabilem & odiosam. | 15. Episcopus competit potestatem legislativam dependentem à Summo Pontif. |
| 4. In Ecclesiasticam & civilem. | 16. Exponuntur textus S. Scripturae in speciem contrarii. |
| 5. Potestas legislativa non est in aliquo homine ex natura rei. | 17. Potestas legislativa etiam competit Prælati habentibus jurisdictionem quasi episcopalem. |
| 6. Data fuit ab autore natura integris communitatibus. | 18. Qualis potestas leges ferendi conveniat Concilio Nationali? |
| 7. Ab istis translata in supremos Magistratus. | 19. Qualis legato, vel Nuncio Apostolico? |
| 8. Imperator potest leges facere pro toto & solo Imperio. | 20. Qualis Cardinalibus? |
| 9. Summus Pontifex potest ferre leges civiles pro suo statu Ecclesiastico. | 21. Qualis Capitulo Sede vacante. |
| 10. Qua potestate Sum. Pont. deroget legibus Imperatoris, vel disponat de regnis. | |
| 11. Etiam femina legitima hæres regni gaudet potestate legislativa. | |
| 12. Summus Pontif. habet potestatem legislativam Ecclesiasticam jure Divino. | |

§. I.

Varia divisiones legis Scriptæ.

Lex scripta, quæ est constitutio, dicitur, esse que imperium, seu ordinatio rationalis ab habente legitime.

legitimam potestatem pro bono communi edita, dividi potest primò in *generalem*, & *particularem*. Illa est, quæ fertur à Summo Principe, puta Summo Pontif. Imperatore, vel Rege. Particularis, quæ fertur ab inferiori & subalterno Prælato vel Principe.

3. Dividitur secundò in *præceptivam*, & *pœnalem*. Præceptiva est, quæ aliquid absolute præcipitur, vel prohibetur absque adjunctione alicujus pœnæ in transgressores statuta; ut est v. g. præceptum Ecclesiasticum diebus festivis audiendi Sacrum.

Pœnalis est, quæ transgressori pœna vel multa injungitur, quæ pœna si sit capitalis, specialiter *Sanctio* nominatur: l. 41. ff. de pœnis. Hæc rursus subdividitur in purè pœnalem & mixtam. Purè pœnalis est, per quam sub conditione alicujus actus positi directe pœna vel multa injungitur, ut si lex dicat: Qui frumentum è provinciâ evertit, solvat 20. solidos. Mixta est, quæ simul actum prohibet, & pœnam taxat, eaque rursus subdividitur in copulative & disjunctivè mixtam. Disjunctivè, cum sub disjunctioe aut actus prohibetur, aut pœna imponitur, e. g. aut frumentum non evertito, aut 20. solidos pendito. Copulative, cum actui prohibito sine disjunctioe pœna jungitur, ut frumentum provinciâ non evertito sub pœna 20. solidorum.

3. Rursus dividitur lex in *favorabilem* & *odiosam*. Favorabilis est, quæ principaliter fertur in alienius favorem, licet in alterius odium redundet: odiosa est, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel pœnam, quamvis etiam cedat in alterius favorem, de quibus est regula Juris 15. in 6. quòd leges favorabiles amplam, odiosæ strictam patiuntur interpretationem.

4. Porro cum genus humanum non solum indigeat directione in ordine ad bonum honestum contentum intra limites rationis naturalis, vel ad externam & temporalem felicitatem; sed etiam ad bonum honestum ordinis supernaturalis, ad spiritualem animæ salutem, æternamque felicitatem comparandam, ideo lex, eique correspondens potestas legislativa dividitur præcipuè in *Ecclesiasticam*, & *Politicam*, seu Civilem; quarum ista temporalem, illa spiritualem & æternam subditorum felicitatem primariò intendit. Utraque suas habet subdivisiones, de quibus Canonice Tit. 2. de Constitut.

§. II.

Potestas ferendi leges Civiles.

Quæres primò: An civilis potestas legislativa ex natura rei existat in aliquo homine, vel familia singulari.

Respond. negativè. Nam naturæ indulto omnino homo liber nascitur: ipseque Adamus, tamen quoad propagationem esset caput naturale omnium hominum, non tamen majorem, quàm œconomicam potestatem habuit in suos descendentes, neque enim fuit ipsi dictum, ut præfesset hominibus, sed *piscibus maris, & volatilibus cæli, ac bestis terre*. Cumque eadem sint in cunctis hominibus naturæ principia, non esset major ratio, cur ejusmodi potestas uni potius, quàm alteri competere.

Est tamen hæc potestas data integris civitatibus ab auctore naturæ, per modum proprietatis moralis politicam communicatam consequentis. Cum enim naturalis instinctus hominibus dictaret, ne pecorū ritu solitarii & vagi, sed in communem societatem adunati conviverent, idque sine legum adminiculo obtineri, ac retineri non possit; consequens erat, ut hominibus inter se aggregatis potestas fieret certis legibus communitatem stabiliendi, & felicitatem communem tuendi; siquidem DEUS & natura in necessariis nunquam deficiunt.

Quam potestatem quia populus in unum aut plures à se transferre potuit, & ita foedente experientiâ ac necessitate modò liberalius, modò limitatiùs actu transiit, hinc legislativa potestas modò in uno, modò in pluribus juxta statum Monarchici & Aristocratici diversitatem relictæ, non immediatè, sed mediante populi consensu DEO concessa. Nec refert, quòd aliquando Monarchicum regimen à tyrannicæ invasionis [ut in Nemro] vel armorum violentiâ initium sumpserit; nam & regimen tyrannicè ceptum tractu temporis, unanimi subditorum consensu, in justam Monarchiam mutari, & jure belli integri populi sub jugum mitti poterunt.

Quæres secundò. Quanta sit Imperatoris potestas ferendi leges?

Respond. Quemadmodum Principibus ac Rebus publicis supremam Jurisdictionem habentibus competit potestas tantum in regnis & provinciis sibi subiectis ferendi leges, extra quas neminem ligant; [nam *extra territorium jus dicenti non pareatur impune, l. ult. ff. de jurisd.*] sic potest Imperatorem leges ferre pro toto imperio, non verò pro toto orbe, & provinciis imperio non subiectis: neque enim amplius est, qui velit ire in sententiam Bartoli, dominium totius orbis Imperatori adulatoriè asserentis. Siquando igitur Imperatoris leges etiam extra imperium observantur, uti de regno Lusitanie testatur Casp. p. 22. §. 1. obligatio non ex illarum, sed propriarum regni constitutionum virtute nascitur.

Quæres tertio. An Summus Pontifex habeat potestatem leges civiles ferendi? Certum est Summum Pontificem habere potestatem ferendi leges civiles in statu Ecclesiastico, seu terris Romanæ Ecclesiæ ex Principum donatione subiectis: in has quippe ditiones temporalis Principis auctoritate fungitur. De aliis verò terris & provinciis

Respondeo. Summus Pontifex non habet potestatem leges Civiles extra statum Ecclesiasticum ferendi. Ita Suar. Bellam. & communis DD. Ratio est, quòd jurisdictio, quam Sum. Pont. à Christo accepit, est potestas clavium regni cælestis, quæ per se & directè tantum extenditur ad bonum spirituale fidelium: adeoque directè se non extendit ad bonum temporale & politicum, nec proinde extra suum territorium de illa potest. disponere, ut ipsa Summorum Pontificum confessione ostendit Clariss. Lombardus in Sac. cerdot. Reg. l. 1. §. 5.

Nec obstat, quòd Sum. Pont. quandoque per legem contrariam derogat legibus Imperatoris, quare

quatenus animarum salutem adversantibus: ita quippe in c. vigilante & c. fin. de præscr. abrogavit legem civilem permittentem præscriptionem cum mala fide. in c. cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, præcipit, illegitimis liberis alimenta præberi, quæ per leges civiles denegantur; imò sapius de integris regnis disponit; ita Zacharias Pont. Childericus III. Regi exauctorato ad ipsorum Francorum preces Pipinum substituit. Leo III. in Carolum M. jus Occidentalis Imperii transtulit. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Fridericum II. Imperio deiecit. [Vide plurima exempla in citato Regali Sacerdot.]

Respondeo. Hæc omnia à Summo Pontifici fieri non ex vi potestatis directæ, sed indirectæ in jura & bona temporalia: nam imperia, regna & reges, quatenus ad finem salutis æternæ subordinantur, etiam Ecclesiasticæ potestati, quæ aliter fidelium salutem non posset prospicere, subjunguntur.

11. Quæres quartò. An etiam in femina seu Regina hæredæ regni legislativa potestas locum habeat?

Respondeo affirmativè. Cùm enim suprema potestati & Regiæ jurisdictioni annexa sit legislativa potestas, si femina Regiæ successione & gubernationis, pariter & legislativæ potestatis erit capax. Nec obstat, quòd Apostolus 1. Tim. 2. Mulierem docere non permittit. Et in 1. femina ff. de R. l. dicitur: *Feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotas esse, & ideo nec Judices esse posse, nec magistratus gerere.* Nam Apostolus loquitur de publica & concionatoria doctrina fidei in Ecclesia, lex verò loquitur de feminis sortis inferioris, non de præcellentibus, & in summo regimine constitutis. V. Suar. l. 3. c. 9.

§ III.

Potestas ferendi leges Ecclesiasticas.

12. Quæres primò. An potestas legislativa in Ecclesia sit juris Divini?

Respondeo primò. Potestas legislativa pro tota Ecclesia est in Summo Pontifice immediate collata à Christo. Ita DD. Catholici. Ratio est: Christi in terris Vicarius habet supremam jurisdictionem & potestatem gubernativam, ad eoque & legislativam in Ecclesiam, & quidem jure Divino, seu immediate à Christo: sed Sum. Pont. legitime in Cathedra Romana succedens Petro est Christi in terris Vicarius: ergo jure Divino habet potestatem legislativam in totam Ecclesiam. Major fundatur in duplici loco Evangelii, uno quo Christus potestatem gubernativam Petro promissit, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum.* In altero, quo tradidit: Jo. 21. *Pasce oves meas,* quo verbo pascenti supremum Ecclesiæ regimen & cura pastoralis designatur, quemadmodum 2. Reg. 5. indicatur: *Tu pasces populum meum Israël, & eris Princeps super eum.* Minor pariter ostenditur: Per hæc verba suprema potestas in Ecclesiam eo sine Petro fuit tradita, ut Ecclesia in ipso tanquam petra solidata contra persecutiones invicta pe-

rennaret: atqui hoc non obtineretur, nisi unà cum Ecclesia etiam officium suprema hierarchiæ perennaret. Unde Adrianus Papa in Epistola ad Imp. quæ refertur in 7. synod. act. 2. *Ab ipso, inquit, Redemptore mundi B. Petro Apostolo principatus ac potestas data est, & per eundem Apostolum Catholica & Apostolica Ecclesia Romana usque hætenus tenet principatum, & potestatis auctoritatem.* Et in c. novit. de judiciis dicitur: *Potestas nostra non ex homine, sed ex DEO est.* Neque refert quòd electio ad Papatum fiat ab hominibus: quia cùm legitima successio non fiat jure sanguinis, aut modo hæreditario, sed vi electivæ designationis: idcirco electores designant quidem personam, quæ Petro succedat, non tamen tribuunt jurisdictionem, quam ipsimet nunquam habuerunt; sed posita hæc designatione tanquam necessariâ conditione, potestas jurisdictionis supremae immediate confertur à Christo.

Respond. secundò. Potestas ferendi leges universales pro tota Ecclesia eodem jure competit Concilio œcumenico, quia illud representat totum corpus Ecclesiæ, habetque influxum auctoritatis à præsentia Romani Pontificis, tanquam Capitis, cujus munus est Generalia Concilia convocare, præsidere, approbare, confirmare. Unde si Concilium sit acephalum, & Papali auctoritate destitutum, nullâ potitur potestate legislativâ, quippe carens jurisdictione requisitâ.

Sed quid si Concilium congregetur Sede vacante, vel tempore schismatis?

Respondeo: Possit quidem leges universales condere, in quantum exigit temporum necessitas; quæ tamen non aliter sunt habituræ efficaciam, nisi cùm à sequenti Romano Pontifice fuerint approbatæ, vel ab Episcopis congregatis pro singulis suis diocæsis acceptatæ, in iisque promulgatæ. Ratio est: quòd tale Concilium jurisdictionem pro tota Ecclesia nec habet à Summo Pontifice ut supponitur, neque à jure Divino, de quo nec scripto, nec traditione constat. Plus ergo potestatis non habet quàm quæ cuilibet corpori mystico jure naturæ competit, ut in defectu capitis per Principes congregatos possit se gubernare, suoque bono prospicere, quousque legitimum caput obtinuerit. Ita Suar. l. 4. c. 6.

Respondeo tertio. Episcopi obtinent potestatem legislativam pro suis diocæsis, non quidem immediate, sed mediatè à Christo acceptam. Et primæ quidem partis ratio est: quia in quantum habent potestatem condendi leges, in quantum sunt Pastores & Rectores Ecclesiæ: sed sunt Rectores Ecclesiæ, non quidem universales sed quilibet suæ particularis Diocæsanæ, juxta illud D. Pauli Act. 20. *Vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI;* ergo quilibet respectu suæ Ecclesiæ diocæsanæ habet auctoritatem leges ferendi. Ita habetur c. 2. de major. & obed. c. 2. de constitution.

Secundæ partis, quam contra Vasquez tuetur Suarez cum communi, Ratio est: quia jurisdictionis Episcopalis, cujus pars est legislativa, per Summum Pontificem sæpe limitatur, ampliat, aufertur, non habentibus ordinem Episcopalem confertur, ab Episcopis non consecratis & solum confirmatis exercetur, quod evidens signum est, potestatem jurisdictionis à Summo Pontif. in Episcopos immediate

mediate derivari: unde & D. Gregorius in c. decreto 2. q. 6. dicit: *Episcops esse vocatus in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Et S. Leo *serm. 3. de Assumpt.* Si quid tum eo [Summo Pontifice] *commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negavit.* Congruentiam dat Ang. Doctor in 4. cont. gent. c. 76. quod sic magis consulatur ordini hierarchico, & unioni Ecclesie: unde & Christus soli Petro dixit: *Tibi dabo claves, &c.* ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesie unitatem.

16. Si dicas primò: Etiam munus Episcopale est juris Divini juxta illud Apostoli: *Vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI.* Secundo. Sicut Pontifex Romanus Petro, sic Episcopi succedunt aliis Apostolis: ergo sicut & ceteri Apostoli habuerunt potestatem gubernativam immediate à Christo, sic & Episcopi. Tertiò. Matth. 18. *Apostolis eorumque Successoribus promisit Christus, Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in caelis.*

Respond. ad 1. Est juris divini quoad potestatem ordinis, concedo; jurisdictionis, nego, vel subdistinguo: est juris divini, radicaliter, & in genere, in quantum est divinum præceptum, ut instituantur Pastores etiam particularium Ecclesiarum, concedo; formaliter, & in particulari, in quantum alicui confertur potestas in determinatam partem populi Christiani, sic nego.

Ad secundam distingo: est juris divini, antec. succedunt ceteris Apostolis in Episcopatu, concedo; in Apostolatu, nego antec. & consequentiam.

Ad tertium. Respond. Salvà illorum verborum veritate & proprietate, potestatem ligandi in Successore Petri esse principaliter, in ceteris Ecclesie Pastoribus participativè.

17. Respondeo quartò. Eandem potestatem leges ferendi, quam habent Episcopi, etiam obtinent Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, intra terminos suæ quasi Diocesis: siquidem jurisdictione Episcopalis fuit in ipsos translata, ipsique sunt veri Ordinarii suarum Ecclesiarum.
18. Quares secundò. Quam potestatem habeant Synodi minores, Cardinales, & Capitula?
- Respondeo primò. Nationale Concilium, quod sub uno Patriarcha, vel Primato ex Archiepiscopis & Episcopis integræ nationis congre-

gatur, pro sola & tota natione; Concilium metropoliticum seu provinciale, quod sub Archiepiscopo seu Metropolitano ex Episcopis Suffraganeis congregatur, pro sola & tota provincia; Diocesana, quod sub uno Episcopo seu Ordinario ex Prælatibus, Pastoribus, Rectoribus Ecclesiarum, & Superioribus Regularium congregatur, pro tota & sola Diocesi habet auctoritatem ferendi leges: cum enim hæc potestas conveniat Episcopis Clero non congregato, quanto magis conveniet cum unanimitate Cleri consensu & approbatione? Specialiter tamen statutum est per c. nullus *Primas* 9. q. 3. ne quis Primas, vel Metropolitanus leges ferat pro tota natione, aut provincia, nisi in nationali, aut provinciali Concilio de consensu suorum comprovincialium.

Respondeo secundò. Legatus, & Nuncios Apostolicus possunt leges ferre pro tota provincia, ad quam mittuntur, quia in illa habent jurisdictionem ordinariam, per c. nisi, de offic. Legati. Et c. 2. de offic. Legati in 6.

Respondeo tertio. Carpinales nullam potestatem habent in Ecclesia ferendi leges, nisi respectu suarum Ecclesiarum, in quibus exercent jurisdictionem Episcopalem; vel enim hæc potestas ipsis conveniret jure Divino vel Pontificio? Non divino, cum nec ipsam Collegium Cardinalium sit juris Divini; non Pontificio, quia oppositum statuitur in *Clement. ne Romani. de elect.*

Respondeo quartò. Sede vacante Capitulum Cathedrali eadem competit potestas ferendi leges respectu subditorum, quam habet illius Ecclesie Episcopus, quæ tamdiu obligabunt, donec à Summo Pontif. vel Successore revocentur, quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omni jurisdictione tam voluntaria, quam contentiosa, exceptis casibus in jure prohibitis, per c. unicum de majorit. & obed. in 6.

Respondeo quinto. Abbatibus, non autem Abbatibus competit potestas legislativa: quia illi habent jurisdictionem spirituales & ordinariam in suos Religiosos. Unde etiam Prælati Ecclesie in SS. Canonibus appellantur c. *de nominibus, de Judic.* At fœmine jurisdictionis spiritualis & Ecclesiastica, jure ordinario non sunt capaces; unde nec possunt imponere præcepta spiritualia, sed tantum civilia, tanquam matres familias æconomicam potestatem habentes. In eum S. D. in 4. d. 19. q. 1. a. 1. quaestione, 3. ad 4. controversi. 2. cum pluribus citatis.

ARTICULUS II.

Quenam sit legis humanæ materia?

SUMMARI A.

1. Lex humana versatur circa omnes virtutum actus, non tamen omnes præcipit.
2. Quadruplex modus actus interni.
3. Actus purè internus nullà humanà lege potest directe præcipi.
4. Ecclesia intendit spirituale bonum subditorum, ut humano modo procurandum.
5. Objectiones.
6. Solvuntur.
7. Actus internus per accidens externo bonus, si non cadit sub præceptum.
8. Impletur præceptum, etiam si intentio & finis operantis sit malus.
9. Non requiritur signata & reflexa intentio præceptum implendi.
10. Requiritur tamen ut opus voluntariè penam.
11. Dicta procedunt in præceptis affirmativis.

§. I.

An actus interni sint legis humanae materia?

Suppono: Legem humanam circa omnium quidem virtutum actus versari; non tamen omnes virtutum actus præcipere, uti nec omnes oppositorum vitiorum actus prohibere posse. *Ratio primi est:* quod nulla sit virtus, cujus actus ad bonum commune vel mediât, vel immediât ordinari non possint. *Ratio secundi est:* quia aliqua virtutum opera tam sunt ardua, ut præstet esse opera consilii, quàm præcepti, neque eorundem observatio toti communitati foret expedita, ut est perpetua virginitas, paupertas, abstinentia, &c. *Ratio tertii est:* quia omnium malorum prohibitio plus incommodi, quàm commodi afferret Republicæ, cum plerumque in communitate major sit numerus imperfectorum: unde prudentia subinde dicitur, permitrenda esse mala minora, ut evitentur majora. Ubi tamen rectè advertit P. Engel tit. 2. §. 2. n. 1. hanc permissionem non esse approbativam, quo modo actiones honestæ, vel indifferentes, tanquam bono communi utiles positivè permittuntur, sed tantùm pœnæ dissimulativam, quâ positiva prohibitio & pœnalis coercitio negativè intermititur. Quæstio potissimum vertitur, an materia legum humanarum possint esse non tantùm actus liberi externi, qui sunt extra controversiam, sed etiam interni?

2. Ubi nota. Actum internum quatuor modis se habere posse. Primò, ut sit planè internus, velut est mentalis oratio: secundò, ut per se conjungatur cum actu externo, vel infallibiliter inferatur ex ipso, veluti ex actu externo liberè posito inferatur voluntas tanquam causa ipsius. Tertio, ut conjungatur cum opere externo ex vi legis divinæ, vel naturalis, talem actum internum ad moralem substantiam operis illius requirentis, sicuti ex vi legis divinæ ad substantiam confessionis sacramentalis requiritur internum dolor tanquam pars ipsius, & ad sacramenti administrationem intentio Ministri, quamvis utraq; actio externa materialiter spectata sine illis actibus internis fieri possit. Quartò, ut actus internus prorsus per accidens & disparatè se habeat ad substantiam operis exteriori, ut est intentio orandi, communicandi, &c. in satisfactionem pro peccatis, vel ex fine vanæ gloriæ, &c. Quibus positis sit

3. CONCLUSIO PRIMA. *Nulla lex humana, sive Ecclesiastica, sive civilis potest directè præcipere, vel prohibere actum purè internum.* Ita cum S. D. q. 91. a. 4. in c. & q. 100. a. 9. Constat ex utroque jure; nam in c. *Tuanos, de simonia*; Innocentius III. dicit: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Et l. 8. ff. de pœnis habetur: *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Et ratio est primò. Lex humana debet esse proportionata humanæ communitati, quatenus per actus sensibiles inter se communicant membra ipsius: sed membra communitatis inter se, & cum Superioribus communicant per actus sensibiles; & actus merè spirituales potius angelicæ, quàm humanæ societati conveniunt: ergo & lex humana [idem dixeris de præcepto] debet versari

R. P. Metzger, Theol. Schol. Tom. II.

circa actus sensibiles & externos. Secundò. De quo humana potestas non potest cognoscere & judicare, de illo quoque non potest legem condere: sed de actibus internis humana potestas non potest cognoscere & judicare, ut certum est, & dicitur 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent, DEUS autem intuetur cor:* ergo potestas humana non potest de actibus merè internis legem condere. Major probatur: quia potestatis legislativæ partes sunt vis directiva; & coactiva: coactiva autem & punitiva judicium requirit.

Neque refert, quòd potestas Ecclesiastica intendat spirituale bonum & salutem subditorum: intendit enim illam ut humano modo, & per actus, quibus membra Ecclesiæ inter se communicant, procurandam. Unde licet Christus potuisset Ecclesiæ dare potestatem præcipiendi actus internos, quo casu vel sibi reservasset judicium & punctionem transgressionis, vel pœna latæ sententiæ per modum legis transgressoribus potuisset imponi, tamen secundum præsentem providentiam id factum non fuisse praxis Ecclesiæ testatur.

Oppones primò I. Divus, ff. de sicariis. *In maleficis voluntas spectatur, non exitus.* Et I. quisquis C. ad l. Jul. Majestatis: *Eadem severitate voluntatem sceleris, quàm effectum puniri jura voluerunt.* Secundò. Leges humanæ statuunt de actibus occultis, v. g. de hæresi occulta: ergo etiam de internis. Tertio. Ecclesia remittit interiores culpas per absolutionem sacramentalem. Quartò. Reservat peccata merè interna. Quintò. Dispensat in votis solâ mente emissis. Sextò. In Concilio Toletano 1. dicitur anathema non solùm dicentibus, sed etiam credentibus contrarium fidei Catholicæ. Septimò. In c. *commissa §. ceterum; de elect. in 6.* privatur fructibus beneficii, qui illud recepit absque intentione intra annum suscipiendi Sacerdotium, &c.

6. Respondeo ad 1. Ibidem per ly *voluntatem* intelligi conatum corporeum, & intentionem externè manifestatam.

Ad 2. nego consequentiam. Nam actus interni sunt per se tales, ut homo de his judicare non possit: sed actus externi in occulto commissi cum simpliciter humanæ noscibilitati subjiciantur, tantùm per accidens, nimirum defectu sufficientis testimonii judicii humani rigorem effugiunt.

Ad 3. Respondeo. Absolutionem sacramentalem pertinere ad forum internum, in quo Sacerdos se gerit tanquam minister Christi, & attendit propriam & particularem cujusque salutem.

Ad 4. eadem dari potest responsio, quòd reservatio sit ordinata ad forum pœnitentiæ, cui etiam interna peccata subjiciuntur. Deinde reservare, nec est præcipere, nec prohibere aliquem actum, sed potestatem absolvendi restringere, & in ordine ad aliquem actum internum denegare.

Ad 5. Respond. Dispensationem votorum tantùm esse actum voluntariæ jurisdictionis, cui se vovens per externam manifestationem submit.

Ad 6. Respond. *anathema dici* in Conciliis idem esse, ac hæreticum declarari, atque hoc ipso ab Ecclesiæ communiione se junctum.

Q. 9

Ad

Ad 7. Respond. primò. Ibidem directè præcipi susceptionem Sacerdotii, & indirectè intentionem illud recipiendi. Secundò dici potest, concessionem beneficii esse conditionatam, nimirum sub conditione habendi intentionem Sacerdotii intra annum recipiendi: in cuius proinde conditionis defectu etiam dominium fructuum non acquiritur.

7. CONCLUSIO SECUNDA. *Quandocunque actus internus per se connectitur cum externo, vel ad ipsius valorem & moralem substantiam ex lege Divina, aut naturali requiritur, toties indirectè præcipitur a lege humana etiam actus internus.* Ita Suar, Reding, Layman, & comm. Ratio est: Quà lege præcipitur aliquis actus, eadem præcipiuntur omnia requisita ad talem actum legitime & verè ponendum: ergo si actus internus pertinet ad veritatem operis, quatenus à lege intenti, etiam actus internus indirectè cadit sub præceptum. Unde non satisfacit præcepto confessio- nis, qui negligit internum dolorem; neque communio- nis, qui Corpus Domini sacrilegè accipit; cum vera sacramentalis confessio internum dolorem, vera Communio mundiciem conscientie ex divina lege requirant.

8. CONCLUSIO TERTIA. *Actus internus tantum per accidens conjunctus cum externo per legem humanam præcipi, aut prohiberi non potest? quia talis actus internus non innoscit ex vi actus externi, adeòq; humane noscibilitati & iudicio non subjicitur.*

§ II.

Corollaria.

9. Colliges primò. Si quis impleat opus præceptum, ex specie sua bonum vel indifferens, satisfacere præcepto, quantumvis habeat malum finem, & intentionem discordantem ab intentione legislatoris, ita ut aliqua vitiosa circumstantia destruat moralem operis honestatem. Unde satisfacit Ecclesiastico præcepto audiendi Sacrum, qui illud audit ex fine vanæ gloriæ. Ra-

tio est: quòd finis & intentio legislatoris non cadit sub præcepto, siquidem modus agendi ex proposito virtutis & honestatis omnino est intrinsecus & latens. Ita Sottus, Navar, Castropal. & Commun.

Colliges secundò. Satisfieri præcepto, si opus, præceptum quoad substantiam voluntarie impleatur, quantumvis non habeatur expressa voluntas, & intentio satisfaciendi præcepto: quia lex non plus præcipit, quam voluntariam operis executionem: sed hæc habetur absque signata & reflexa intentione obediendi præcepto, quæ planè mentalis est, & interna, nec pertinet ad substantiam operis præcepti. Unde si die festivo audires Sacrum ad satisfaciendum voto, cum animo alterum Sacrum audiendi ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, tamen satisfecisti præcepto Ecclesiæ, tametsi alterum Sacrum non audias.

Colliges tertio. Nihilominus requiri voluntatem & intentionem saltem exercitam ipsius operis ponendi, quòd sub præceptum cadit: quia non satisfacit præcepto, nisi ponendo illam substantiam & quidditatem actus, quæ sub præceptum cadit: sed sub præceptum cadunt actus humani liberi morales, qui absque aliqua intentione & voluntate operis tales esse non possunt: ergo si nè aliqua operis intentione & voluntate præcepto non satisfacit. Unde qui profusus involuntarie interesset Sacro, non satisfacere præcepto illud audiendi, neque in ebrietate recitans aliquam orationem, præcepto vel voto debitam, satisfacere suæ obligationi. Ita communiter tradunt DD.

Colliges quarto. Necessitatem prædictam intentionis esse in præceptis affirmativis: quia præcepta negativa pro objecto non habent actum moralem & humanum, sed solà omissione implentur. Unde præceptum abstinendi à carnibus impleres solà non comestione carnum, nulli licet accedente intentione abstinendi, aut præcepto obediendi. Castrop. in præf. p. 17. n. 4. Reding q. 16. controver. 3. n. 5.

ARTICULUS III.

Quæ pertineant ad formam legis humanæ.

SUMMARIÆ.

1. Forma legis interna & externa.
2. Ratio legis non est forma intrinseca legis humanæ.
3. Promulgatio debet esse solemnis & publica.
4. Non necessario fit per scripturam.
5. Prævia consultatio non est de ratione legis.
6. Leges requirunt verba significativa obligationis.
7. Ad valorem legis Imperialis requiritur promulgatio in singulis provinciis;
8. Non ad valorem aliarum legum.
9. Controversia de legibus Pontificiis.
10. Leges Pontificie non necessario requirunt publicationem in paribus.
11. Solvuntur objectiones.
12. Aliquando ex privilegio, vel consuetudine requiritur publicatio in paribus.
13. Ad obligationem requiritur bimestre tempus, nisi aliud exprimat.
14. Solvuntur objectiones.
15. Quid sentiendum de Pontificiis damnationibus sententiarum?
16. Ad nullius legis Ecclesiasticæ valorem per se requiritur acceptatio populi.
17. Neque ad valorem legis Civiliis.
18. Exponitur axioma Gratiani.

§. I.

Requisita Generalia.

A Legis materia ad ejus formam transgreditur, quæ vel est intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca est juxta sup. dicta imperium legislatoris, quòd præsuppositivè includit intentionem & voluntatem subditos obligandi, quæ si abesse, legis substantia non subsistit, quantumvis omnino alia

alia requisita externa ponentur; quemadmodum in simili sublata intentione se obligandi neque votum, neque contractus subsistit. Forma externa sunt solemnitates extrinsecæ, præcipue circa promulgationem, ad legis valorem requisitæ. De his

2. Quæres primò. An ratio legis, sit forma intrinsecæ legis humanæ?

Respondeo negativè cum Suarez l. 3. c. 20. & dico, habere se per modum motivi & principii tenentis se ex parte objecti, quo nempe voluntas Superioris movetur adferendam legem. Ratio est: quia stante ratione legis fieri potest, ut Superior nolit legem condere, adedque ratio legis ab ipsa lege separari potest; non verò potest Superior habere efficaciam imperium, signo exteriori sese insinuans in animos subditorum, quin hoc ipso ad se legis substantia: unde hoc quidem legis formam constituit, non verò ratio legis. Sic in aliis quoque humanis actibus & moralibus quibusdam compositis evenire cernimus, ut ratio actus non constituit actum formaliter, e. g. ratio contrahendi non constituit contractum, nec ratio votendi votum &c.

3. Quæres secundò. An promulgatio legis debeat esse solennis & publica?

Respond. affirmativè; nam lex est regula communis & publica, quæ ad totam communitatem publicâ authoritate dirigitur: unde Imperator in l. *leges sacratissima. C. de legibus. Leges sacratissima intelligi ab hominibus debent, ut universi præscripto earum manifestius intellectu, prohibita declinent. Ad quod tamen non requiritur, ut in omnium & singulorum aures vel oculos insinuetur, sed ut juxta consuetudinem locorum modo quodam publico, vel scripto, vel voce præconis intimetur, ut majori parti communitatis sufficienter innotescere, & ad aures singulorum decurru temporis diffundi possit, per c. 1. de postulat. Prelator. ubi Sum. Pont. dicit: *Nec sit necessarium, cum constitutio solenniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solenniter editam, aut publice promulgatam. Sed**

4. Quæres tertio. An promulgatio necessariò per scripturam fieri debeat?

Respondeo negativè. cum communi Theologorum & Canonillarum. Atque ita habetur expressum c. *institutionis 28. q. 1. Institutionis nostre decreta, sive que scripto decrevimus, sive que in nostra præsentia videntur esse disposita, volumus ex quavis occasione convelli ac irritari. Et in §. Sed & quod constitutum est. Instit. de jure nat. gent. Civ. Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcipit, legem esse constat.*

Dices: Lex humana dividitur in scriptam & non scriptam, ubi nomine legis non scriptæ intelligitur consuetudo; juxta §. *sine scripto. l. c. ibi: sine scripto jus venit, quod usus approbavit. Et in c. Jus generale. dist. 1. dicitur: Lex est constitutum scripta: ergo omnis alia lex debet esse scripta.*

Respond. Illam divisionem fieri per hoc, quod

R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

& frequentius & convenientius, non quod necessariò sit; cum enim lex sit regula publica & stabilis pro tota communitate, difficulter obtineret suum effectum solâ præconis proclamatione, nisi etiam in scriptum & tabulas redacta omnium oculis objiceretur.

Quæres quartò. An ad legis Civiliis valorem requiratur prævia consultatio Principis cum suis proceribus?

Respondeo negativè, nisi speciale statutum alicujus regni, vel provinciæ potestatem legislativam Principis limitet ad suffragia statuum, vel procerum; quamvis enim sit de decentia, ejusmodi consultationem præmitti, cum tamen vis legislativa in solo Principe resideat, idcirco à sola ipsius voluntate, non ab aliorum suffragiis dependet.

Quæres quintò. An & quænam verborum expressio ad legis valorem requiratur?

Respondeo. Ad legis valorem requiruntur verba obligatoriam Superioris voluntatem exprimentia, qualia esse solent, *præcipio, jubeo, impero, veto, prohibeo, interdico.* Ita Suar. loc. cit. n. 15. cum communi. Ratio est: De substantia legis est, ut sit subditis debitè promulgata sub ratione legis, tanquam regulæ obligantis, & distinctæ à puro consilio, & admonitione: sed ejusmodi promulgatio non fit nisi per verba, eaque exprimentia imperium, & mandatum; sine his quippe potius censetur habere rationem consilii, quàm legis, vel præcepti, cum in dubiis benignior interpretatio sit facienda.

§. II.

Quantitas promulgationis ad leges Civiles requisita.

Quantitas promulgationis consideratur vel ex parte locorum, vel ex parte temporis, & sic

Quæres sextò. In quibus locis leges Civiles promulgari debeant, vel quantus temporis lapsus requiratur, ut subditos obligent?

Respondeo primò. Lex Imperialis, ut habeat vim obligandi, promulgari debet in singulis provinciis imperio subjectis, neque obligat ante lapsum duorum mensium à facta publicatione. Ita habetur in Nov. 66. & ex illa docent jurisperiti communiter. Quod ob paritatem rationis & æquitatis naturalis, in qua fundatur Imperatoria constitutio, meritò extenditur ad aliorum Regum & Monarcharum leges, qui regna & provincias gubernant diversis moribus & legibus, priusquam ejusmodi sceptro unirentur, institutas veluti & praxis regnorum confirmat: de regno Gallia testatur Augustinus à V. M. in præf. disp. 1. q. 4.

Respondeo secundò. Ad efficaciam obligatoriam legis humanæ in regnis & provinciis imperio non subjectis per se sufficit, ut promulgetur in metropoli, nisi ipsemet legislator certum modum obligationi præfixerit, vel aliud particularis consuetudo obtineat. Tunc enim lex accipit efficaciam obligatoriam, quando nihil ipsi deest ex omnibus sive de jure naturæ, sive positivi requisitis: sed legi in metropoli promulgatæ nihil deest: ergo. Minor prob. nam requisita

Q q 2

naturalia

naturalia sunt actus legis, & voluntas obligandi in legislatore, ac publica intimatio: sed hæc omnia adfunt, neque ex jure positivo aliquid ob stare supponitur: ergo. Unde ejusmodi lex statim suos sortitur effectus, ut nimirum subditi illa obligentur, cum in ipsorum notitiam venerit, & actus per legem irritati sint invalidi.

§. III.

Quantitas promulgationis requisita ad leges Pontificias.

9. Certum est, leges Episcopales ad sui valorem non requirere majorem solemnitatem, quam ut in Ecclesia matrice promulgentur, quo facto statim incipiunt obligare diocesanos, ad quorum notitiam pervenerunt. De Pontificiis igitur & universalibus constitutionibus, quibus tota Ecclesia obligatur,

Quæres primò. An constitutiones Pontificiæ Romæ promulgatæ habeant vim obligandi in totâ Ecclesia sine ulteriori publicatione? De hoc diversa sunt Authorum placita: nam primò necessariam esse promulgationem in singulis provinciis & Episcopatibus, & lapsum saltem duorum mensium, ut leges Pontificiæ obligare censentur, sentit Medina l. 2. q. 90. a. 4; utrumque negat Suarez l. 4. c. 15. Azor to. 1. l. 5. c. 3. q. 3. cum Vasq. Sylv. Menochio, aliisque: Salmanticenses hæc cap. 1. punct. 2. quamvis admittant, ad obligationem inducendam sufficere promulgationem in curia, tamen tempus bimestre requirunt à facta publicatione quam sententiam tenent Menoch. de arbitr. l. 2. casu 185. n. 19. Diana, Tabiena, Miranda, Valent, to. 2. disp. 7. q. 5. p. 5. Soto l. 5. de Just. q. 1. a. 4.

10. Respondeo & dico primò. Leges Pontificiæ Romæ promulgatæ probabilis habent vim obligandi pro tota Ecclesia absque ulteriori publicatione, nisi aliud exprimat, vel alicubi privilegium, aut consuetudo sit in contrarium, aut ipsa lex aliud exprimat. Ita Palaus Tr. 7. disp. 1. p. 11. Suarez l. 3. c. 16. aliique quos referunt & sequuntur Salmant. citati. Ratio est primò. Si requireretur major promulgatio, id vel esset ex natura rei, vel ex jure positivo: non ex natura rei, quia natura legis non nisi authenticam & solemnem promulgationem exigit, quæ tractu temporis singulis possit innotescere: unde leges regiæ & diocesane per se non nisi in curia & Ecclesia matrice exigunt promulgari. Non etiam ex jure positivo: hoc enim esset constitutio Novellæ 68. sed illa tantum disponit in terris & provinciis Imperii.

Nec refert: quod in cap. 1. de novi op. nuntiatur dicatur: *Quemadmodum leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita SS. statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Ex quo inferunt aliqui: cum ergo SS. Canones de modo ferendi leges nihil statuerint, juris civilis constitutio observanda erit. Nam Respond. negando consequentiam. Juxta communem quippe interpretationem sensus illius capit. est, quòd in causis, judiciis & sententiis particularibus, ubi Canonice leges deficiunt; non autem in ipso exercitio potestatis legislativæ servandæ sint le-

ges Civiles, per imitationem & congruitatem, non per obligationem & necessitatem, ut bene exponunt Salmant. hæc c. 1. puncto 2. n. 28.

Accedit secundò praxis Curie Romanæ, ubi causa ex toto orbe illic devoluta judicatur secundum Bullas Romæ publicatas, quantumvis nec sint insertæ corpori juris, nec in partibus publicatæ, quod absque injustitia fieri non posset, si illarum publicatio in partibus ad earum obligationem & valorem foret necessaria. Bulla quoque Cœnæ Domini, aliæque Bullario contentæ per solam publicationem Romæ factam obligare censentur.

Tertiò. Frustrà Summi Pontiff. volentes suas leges publicari in partibus & singulis Episcopatibus, illam suam voluntatem specialiter exprimerent, & significarent, si esset conditio essentialis & per se necessaria: atqui specialiter exprimunt: ut patet ex c. 13. de panit. & remiss. & bulla Pii V. de obligatione Concilii Trid.

Dices tamen primò. Jus Civile solet observari ab Ecclesia circa materias, in quibus nihil speciale determinatum est à Jure Canonico; sed circa modum promulgandi leges Ecclesiasticas nihil est specialiter determinatum à Jure Canonico: ergo. Major constat ex cap. 1. de novi op. nuntiatur, ubi dicitur: *Quemadmodum leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita SS. statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Minor etiam videtur certa, cum nihil clari juris à SS. Canonibus de modo promulgandi possit afferri.

Secundò est consentaneum aequitati naturali, ne leges prius obligent, quam debere veniant in notitiam subditorum, ne ignorantes peccati arguantur, & periculum animarum causetur. arg. cum infirmitas de panit. Sed leges Romæ publicatæ non possunt moraliter venire in notitiam remota, & ultramontanarum regionum & provincialium sine speciali promulgatione: ergo.

Tertiò constat experientia, quòd Bullæ Romæ promulgatæ etiam promulgentur in partibus, quod frustra fieret, si promulgatio Romæ facta ad obligationem sufficeret.

Quartò in c. 13. de panit. & remiss. decretum, quòd constitutio, quæ Medici incurunt poenam excommunicationis, nisi infirmos, ad quos fuerit vocati, ante omnia inducant ad confessionem & c. non prius obliget, quam prius fuerit à Prelatis locorum promulgata: ergo hoc ipsum propter identitatem rationis erit extendendum ad alias constitutiones arg. l. 12. & 13. ff. de LL. sicut & nos constitutionem Novellæ 66. ob eandem causam ad alias leges Imperatorias extendimus. Et sanè si leges Imperatorie propter validitatem Imperii exigunt promulgationem in singulis provinciis, cur non & leges Ecclesiasticæ, cum Ecclesia sit longè magis per totum orbem dilatata.

Respondeo ad 1. Solet ab Ecclesia observari jus Civile in modo ferendi leges, & per eas fideles obligandi, nego; in causis & judiciis forentibus, ubi Canonice leges deficiunt, concedo: hoc enim & non plus ex cit. c. 1. eruitur, aliis certè etiam duorum mensium tempus, quòd per eandem authenticam præscribitur, ad Ecclesiasticæ legis obligationem requireretur, quòd tamen est contra praxin Curie Romanæ.

Ad 2. nego minor. Siquidem Catholici Principes & Metropolitanæ Romæ habent suos Legatos & Agentes, per quos omnia, quæ Romæ emanant, iisdem communicantur, unde & ipsi suis subditis communicare possunt.

Ad 3. Respondeo. Illam promulgationem non esse de necessitate simpliciter sed ad melius esse, ut nempe leges, quæ per promulgationem Romæ factam acceperunt virtutem intensivam obligandi totam Ecclesiam, etiam extensivam seu diffusivam obligandi efficaciam per ignorantiam remotionem in ultramontanis partibus fortiantur, quæ tandem impeditur, quamdiu lex invincibiliter ignoratur.

Ad 4. Respondeo primò negando suppositum consequentis, quòd sit identitas rationis inter hanc aliasque Pontificias constitutiones, cum enim Summus Pont. causam & rationem requisitæ publicationis per Prælatos locorum non expresserit, gratis dicitur inter hanc aliasque constitutiones esse rationem identitatis; quam Curie Romanæ contraria praxis evertit.

Respondeo secundò negando antec. non enim ibi Pontifex suspendit obligationem suæ constitutionis usque ad publicationem, sed tantummodo executionem gravis pœnæ, nempe exclusionem ab ingressu Ecclesiæ. Verba sunt: *Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tandem ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.*

Ubi vides, publicationem Prælatorum non requiri, quasi ante ipsam medicus non possit esse transgressor constitutionis, sed ne possit ad evitandam pœnam censuræ Ecclesiasticæ legis ignorantiam allegare. Quæ ratio non ubique militat. Paritas objecta de legibus Imperatoris nihil evincit, primò, quia [ut habet Clariss. P. Robertus König l. 1. tit. 2. §. 9. n. 20.] Novellæ 66. extensio ad alias leges Imperatorias non tantum habet pro causa rationem paritatis, sed præcipue verba ipsius rubricæ, ac tituli, quæ sunt generalia pro omnibus legibus: *Ut facta nova constitutiones post infirmationes earum post duos menses valeant.* est autem receptum dogma apud Juristas, quòd quando rubrica perfectum sensum reddit, habeat authoritatem textus in his, in quibus nigro, seu textui non repugnat.

Insuper in tota Ecclesia magna est circa mores, & Ecclesiasticas observationes conformitas, quæ non habetur in diversis provinciis, regnis, nationibus Imperio Romano subiectis: unde non est tanta ratio in singulis Episcopatibus universales Ecclesiæ leges promulgandi, quanta est diversis provinciis promulgandi leges imperiales.

12. Dixi tamen notanter in conclusione: *nisi alicubi privilegium, vel consuetudo sit in contrarium*: nam haberi à Rege Hispaniæ, auctores Hispani; à Rege Galliæ, auctores Galli testantur, simile privilegium, quo Pontificia diplomata non solum absque publicatione in ipsorum ditionibus facta non obligant; sed neque sine Regio consensu publicari possunt. Pariter videtur esse consuetudo nostræ Germaniæ, vel, ut loquitur Layman l. 1. tract. 4. c. 2. benigna interpretatio,

ut Pontificiæ Bullæ præferim irritatoria, abrogatoria, censuras Ecclesiasticas, & jurisdictionem fori penitentialis concernentes, &c. ante publicationem in diocesis factam obligare non censentur, uti nec Tridentinum [extra materiam fidei] obligare cernimus in iis partibus, ubi non est promulgatum.

Respondeo & Dico secundò. Quando lex 13. Canonica vel Civilis nullum tempus pro inducenda obligatione determinat, nullam neque respectu præsentium in curia, neque respectu absentium & distantium parit obligationem ante lapsum duorum mensium à facta publicatione. Ita Salmanic. hic cap. 1. punct. 2. cum Authoribus sup. allegatis. Ratio est: quia facta publicatione requiritur aliquod tempus, quo lex publicata moraliter venire possit in notitiam subditorum & per communicationem in toto corpore communitatis divulgari. Ut habetur c. 1. de concess. prob. in 6. estque jure naturæ requisitum ex sententia S. D. I. 2. q. 90. a. 4. ad 2. sed quando in lege non assignatur determinatum tempus, quo lex humano modo ad subditorum aures perveniat, illud taxandum est juxta æstimationem & arbitrium prudentum: si ergo prudentum arbitrio tale tempus jam fuerit taxatum, & terminus positus; etiam ejusmodi taxationi & determinationi standum erit. Atqui in *auth. ut facta nova constitutiones collat. 5.* prudentissimorum virorum judicio pro legibus imperialibus determinatum est tempus duorum mensium à facta publicatione, quanquam minimè ignorarent, quòd lex citius in præsentium, quàm distantium notitiam perveniret: ergo juxta hanc prudentum æstimationem tempus obligationis mensurandum erit.

Roboratur nostra sententia ex Bulla Pii IV. sicut ad sacrorum. Ubi ad propositam questionem, ex quo tempore cœperint obligare decreta Tridentini ad jus positivum pertinentia, respondet: *Quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta decreta à Calendis Maji proxime præteriti omnes obligare cœpisse.* Quibus verbis Summus Pontifex dispositionem juris communis de requisito temporis tractu ad legis obligationem approbat, justam & æquam esse declarat, etiam pro legibus Ecclesiasticis.

Dices primò. Eorundem Jurisperitorum judicio prudenter requiritur publicatio in singulis provinciis, nec illa tamen est necessaria in legibus Canonicis, aut terris Imperio non subiectis: ergo neque temporis determinatio ab ipsa facta ad obligationem inducendam observanda erit.

Secundò. Causa debite applicata, & positis omnibus requisitis ad agendum, operatur suum effectum: sed lex in Curia promulgata jam est debite applicata respectu præsentium, habetque omnia requisita necessaria ad pariendam obligationem: ergo non est cur non dicatur subditos præsentibus obligare.

Respond. ad 1. Discrimen esse, quòd ad cuiuscunque humanæ legis obligationem inducendam ex natura rei requiritur aliquis tractus temporis,

quem si lex ipsa non exprimat, hoc ipso presumitur tacite illum requirere, qui prudentum iudicio pro sufficiente agnoscitur: atqui ad obligationem inducendam ex natura rei non requiritur publicatio in omnibus provinciis subiectis, cum modus leges in Curia promulgatas divulgandi aliis viis obtineri possit.

Ad 2. nego min. nam ut efficacia obligatoria quam lex per promulgationem formaliter obtinet, operetur suum effectum in subditis, per modum conditionis requiritur notitiam in majori parte communitatis, quae non habetur statim post promulgationem praesentibus factam.

17. Quaes octavo. Utrum Bullae Pontificiae, quibus aliqua sententiae Authorum tanquam scandalosae, & temerariae damnantur, & praedicari prohibentur, obligent ante publicationem in dioecibus factam, dummodo aliis sufficienter innotescant?

Respond. affirmativè: Nam eiusmodi Bullae Apostolicae non tantum sunt praecipuae, sed etiam declaratoriae veritatis, neque statuunt aliquid jus novum, sed, quid sit juris Divini, vel naturalis, exponunt, & roborant. Atqui fideles tenentur se conformare Summi Pontificis definitivae declarationi, independenter à facta speciali publicatione, quotiescunque aliquid è Cathedra definit atque declarat tanquam viva fidei & morum regula: siquidem [ut specialiter dicitur in Tract. de fide] Sum. Pont. è cathedra loquens non potest errare, sive proponat credenda, sive agenda: cum enim Ecclesia DEI aequè indigeat morum sanctitate, quam fidei unitate, tam esset absurdum, si caput Ecclesiae approbaret turpia pro honestis, vel damnaret honesta pro turpibus, quam si approbaret falsa pro veris, vel damnaret vera pro falsis: sicut ergo facta Romae solemni canonizatione alicujus Sancti, teneor ipsi habere pro Sancto, quamprimum mihi illa canonizatio sufficienter innotescit, etiam non facta promulgatione in partibus, sic teneor illam opinionem habere pro falsa, quam Sum. Pont. veluti falsam, scandalosam &c publice ex cathedra declaravit, quantumvis nulla specialis promulgatio in partibus accesserit.

§. IV.

An requiratur acceptatio populi?

16. Respondeo & dico primo. Nec Iges Pontificiae nec alterius Ecclesiasticae valor dependet ab acceptatione populi. Suarez l. 4. c. 16. cum communi. Et ratio primi est, quod Summus Pontif. plenariam potestatem legislativam accepit immediatè à Christo per illa verba: *Pasce oves meas. Quodcumque ligaveris super terram &c.* Unde in exercitio hujus potestatis non ipse à populi consensu pendere, sed populus ad legem acceptandam ab ipso obligari potest. Ratio secundae est, quod neque Praelati Ecclesiastici à populo, sed immediatè à Summo Pont. vel Episcopis, &

mediatè à Christo potestatem leges ferendi acceperint: unde à populi acceptatione in illa non dependent.

Respondeo, & dico secundo. Neque leges civiles summorum Magistratum à populi acceptatione dependent: Nam primo: In ejus potestate non est legem acceptare, vel rejicere, quae tam in foro externo, quam interno tenetur legi obedire: sed populus tenetur obedire legi justae & rationabili: ergo. Secundo. Si obligatio legis penderet ab acceptatione subditorum, tunc potestas legislativa magis esset in populo & subditis, quam in Principe & Legislatore: quia illi habet auctoritatem legislativam, à quo dependet, ut lex obliget & executioni mandetur: sed hoc penderet à populo: ergo. Tertio. Si populus transfudit in Principem absolutam potestatem gubernandi, & leges ferendi, tunc etiam se abdicavit omni illa potestate: ergo illa potestas non amplius dependet à placito populi. Quarto. Si Principi legem justam condenti populus justè posset resistere, utrinque daretur bellum justum: sed hoc est absurdum: ergo.

Nec obstat primo textus Gratiani ex D. Augustino c. *istis §. leges. dist. 4. leges instituntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus mentium comprobantur*: sensus enim est, leges firmari per usum & acceptationem populi firmitate facti, non juris, & secundum perfectionem accidentalem, quam lex ab exercitio & usu subditorum accipit, ne vigor ex ipsis non usu, vel contraria consuetudine enervetur.

Nec obstat secundo, quod multa leges etiam Ecclesiasticae dicantur non esse receptae: Nam sensus non est, quod arbitrio populi legum obligatio fuerit excussa, earumque valor ablati: sed quod, cum continerent notabile gravamen, neque de Legislatore prudenter praesumeretur, quod grave onus populo voluerit imponere, illa leges in provinciis, aut dioecibus non fuerint promulgatae, & sic cum tacita coiventia & consensu Legislatoris earundem executione suspensa, contra ipsas denique praescriptum fuerit.

Quo sensu etiam interpretandus est textus c. 6. *de Clericis conjugatis*, ubi Sum. Pont. pro sufficienti causa Gracos Sacerdotes excusante à voti continentiae agnoscit, quod Orientalis Ecclesiae votum continentiae non admisit.

Ubi tamen observandum, in pluribus regni conditione habenas regni Principibus à populo delatas fuisse, ut ipsorum leges & statuta non nisi addito populi consensu obligarent, quo casu populo ad legis valorem populi consensus requiritur, prout in regno Arragoniae & Lusitaniae praedicari testantur Palaus, Granado, & alii. Res autem tamen advertunt Salmanticenses, tunc non esse dependentiam Principis à populo in acceptanda lege condita, sed in ipsa lege condenda, eò quod populus in translatione suae potestatis mixturam à Monarchico, & Aristocratico, vel

Democratico statu elegerit,